

PETRI FONTIDONII
SEGOVIENSIS,
DOCTORIS THEOLOGI,
CANONICI, ET ARCHIDIACONI
SALMANTINI

OPERA OMNIA
NUNC PRIMUM COLLECTA,
ET SIMUL EDITA.

PRAEFATIONEM,
ET DE VITA SCRIPTISQUE AUCTORIS
COMMENTARIUM

Adiecit

FRAN. XAV. ELIAS,
SACRORUM CANONUM DOCTOR,
ET
CONG. ORAT. S. PHILIPPI NERII BARC.
SACERDOS.

SUPERIORUM PERMISSU.

Barcinone: Apud Iohannem Nadal Typogr.
Anno MDCCLXVII.



FRANCISCI XAVERII ELIAE

DE VITA, ET SCRIPTIS

PETRI FONTIDONII SEGOVIENSIS,

Doctōris Theologi, Canonici, &
Archidiaconi Salmantini

COMMENTARIUS.

PERANTIQUA, & nobilis Urbs Hispaniæ Citerioris Segovia nullo non tempore, ut eius tradunt Historiæ, præstantes in omnium virtutum ac disciplinarum genere viros Orbi litterario, & Ecclesiæ Catholicæ genuit. Verum ex iis omnibus qui, sive ob christianæ eloquentiæ famam, sive ob insignem humanarum, divinarumque rerum notitiam, sive ob politissima studia, quæ ab humanitate sibi nomen adsciverunt, clari ac magni habiti sunt, nescio sane an quisquam fuerit Petro Fontidonio, in quem omnia illa ornamenta confluerant, excellentior. Segoviæ igitur, maximo patriæ décore, natus est Petrus Fontidonus, de quo referre constitui, anno salutis MDXIII. Parentes habuit Petrum à Fuentidueña, & Mariam de Medina,

PETRI FONTIDONII

DOCTORIS THEOLOGI PRO
 Sacro, & OEcumenico Concilio Trid.
 adversus Iohannem Fabricium
 Montanum Apologia,
 ad Germanos.

*Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne
 sibi sapiens esse videatur. Proverb. cap. 26.*



ITSI ad asserendam Sacro-
 sancti Concilii Tridentini
 auctoritatem, & ad in-
 sanam Iohannis Fabricii
 Montani maledicendi li-
 bidinem comprimendam,
 frustra fortasse hic à nobis labor suscep-
 tus esse videatur, quum & Concilii auc-
 toritas summa, Spiritus Sancti præsentia
 atque patrocínio, contra sceleratorum
 hominum audaciam, teçta satis atque
 munita sit, & Fabricii improbissima
 Oratio omnium sit bonorum virorum
 iudicio opinioneque damnata, quam
 nemo est qui legat, qui non miretur,
 & monstri simile ducat, repertum fuis-
 se hominem, qui id fuerit aggressus,
 quod